



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt Primvm. Lunensis postulatvm, vt iterum inuitentur Protestantes. Moroni repulsa. Obiecta à Lunensi sollicitis agendi modis ad Synodum absoluendam. Studia adhibita à Legatis apud Caesarem, ac ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1563.

CAPVT PRIMVM.

Lunensis postulatam, ut iterum inuitentur Protestantes. Moroni repulsa. Obiecta à Lunensi sollicitis agendi modis ad Synodum absoluendam. Studia adhibita à Legatis apud Cæsarem, ac Philippum Regem. Significata à Pontifice in Senatu. Res ab eo & Ministris Hispanis gesta ad impedienda consilia, quæ illi suspicabantur in Lunensi. Orator Florentinus Tridenti mutatus. Querela Gallorum partim simulata, partim vera, de forma in Sessione habita, quod spectabat ad ritum; & quo pacto illis satisfactum. Capita correctionis agitata de Matrimonio, & de distribuendis sacerdotijs, obstringentibus ad animarum procuracionem.



Nà cum lætitia ex celebrata Sessione, confirmata est in Legatis spes citò & concorditer absoluendi Concilij: sed vtraque infuscata ab inopina petitione Lunensis, quæ suspiciones auxit de ipso conceptas. Perebat, vt denuò Protestantes inuitarentur; idque pariter commendarat Gualterio^a, vt tamquam opportunum Pontifici suaderet, cum is Romam missus à Lotharingo, abeundi veniam à Lunensi petijt. Suauis autem cum legeret, Lunensem à Legatis id petiisse, nec responsum illi redditum comperisset, illud suo more comminiscitur, sed non quod verè fuit; nimirum, rem se perperuros. Illi reipsa Moronus respondit, Hoc postulatam futurum inutile ad rem consequendam, indecorum ex despectu, & noxium ob diuturnitatem, quam à nemine expeti posse in comperto erat, nisi ex priuata aliqua utilitate, & ad ampliora interim beneficia à Pontifice extorquenda. Mirari se huiusmodi postulatam, quando Auila paulò antea in mandatis habuerat, vt Pontificem ab ea inuitatione dehortaretur; nec ignorabatur, similia mandata Lunensi quoque fuisse tradita. Reposuit Lunensis, Non peti vt id Pontificis nomine ageretur, sed vt per Cæsarem agendum curaret. Ad hæc iterum Legatus: Non modò se nolle suam operam conferre, sed neruis omnibus obistere huic prolacioni, cum existimaret, nihil salubrius Ecclesiæ id temporis fieri posse, quàm vt Synodus expediretur.

Postea verò aucta est in Legatis suspicio^b, id à Rege fuisse imperatum, propter similem in Lunensi agendi rationem ad id obtinendum. Statuerant Præsides, argumenta à Sacramentis seiuncta expedire,

^a Litt. Gualterij ad Borrom. 17. Iulij 1563. & Legatorum ad eundem, 19. Iulij.

^b Literæ Legatorum ad Borrom. 22. Iulij 1563. & Vicecomitis 19. Iulij.

pedire, cuiusmodi erant Indulgentiæ, & Vota monachorum, haud alio illis spatio impenso, quod prænoscebant in multos menses abiturum: atque idcirco habebant in animo, cum Lotharingo conuenire de committendis articulis studio Theologorum, vt ex ijs varij bini delecti inter missos à singulis Regibus, & par etiam ex Pontificijs, videlicet Lainius & Salmeronus, & par etiam ex supremis Moderatoribus Monasticarum familiarum, colligerent quæ sibi opportuna viderentur tum de dogmatibus, tum de corruptelis, & pro ipsorum iudicio formarentur Canones à quibusdam Patribus, ac postremum in generalem conuentum referrentur. Sed Lunensis exposuit, assentiri sibi non licere vt consuetus modus variaretur. Quomobrem decreuerunt Legati, vt de absoluenda Synodo ad Cæsarem scriberet moronus, quippe qui alios in eo Principe sensus animaduernerat, atque vt præterea vnà omnes præualidis rationibus precibusque vrgerent Regem Catholicum, missis ad Criuelum Nuntium litteris, ipsum rogantes, vt eas suâ voce animaret. Neque segnius Pontificem stimularunt, vt huiusmodi ipsorum studia auctoritate suâ in vtraque Aula promoueret.

1563.

3 Moronus suis ad Ferdinandum litteris ostendit^e, Fuisse in gratiam Cæsaris constitutas complures disciplinæ leges, præcipuè verò obligationem residendi etiam in Cardinalibus; reliqua per omnem sedulitatem peractum iri: absolutis autem sanctionibus vniuersalibus, ad peculiare singularum prouinciarum processum iri, sicuti Episcopo Conadiensi dictum fuerat, qui Cæsarem aditurus, eas litteras ipsi defererebat; sed simul etiam rogari à se Cæsarem, vt ipse obfisteret cuiuscumque, ex priuato commodo moram illius publici boni quærenti, præcipuè verò, vt Regi Catholico, fratris filio, suaderet ad remouendos Oratorem suum & Hispanos Præsules ab illis consilijs non cunctationis.

^e 20. Iulij, 1563.

4 Commendatum pariter est Cæsareis Oratoribus^d, vt eas litteras in manus Cæsaris deferendas curarent ab Episcopo memorato: ipsi verò Oratores Moroni litteris suas communes associarunt, quibus tamen nihil aliud scribebant, nisi prosperum Sessionis exitum, & apparatus ad futuram per fructuosam Decreta celebrandam.

^d Constat ex litteris Oratorum ad Cæsarem, 10 Iulij.

5 Pontifex immenso gaudio affectus fuerat^e ob Sessionem, & ample commendarat Legatos, & etiam Lotharingum, cui agi grates à Borromæo voluit; ipse verò eundem eximij laudibus in Senatu honestauit^f; vbi felici successu narrato, eodemque prudentiæ virtutisque Legatorum adscripto, adiecit, Laudem obtentæ concordiæ præcipuè Lotharingo deberi; fuisse à se beneuolentiæ plenas lit-

^e Littere Bor. ad Legatos 21. & 24. Iulij, 1563. ^f Acta Consistor. 30. Iulij, 1563.

teras

ia
Trid.
II

1563.

teras ad illum scriptas, qui ante futuram Sessionem Romam aduenturus erat, quò de rebus ingentis publici boni secum ageret. Spem præ se tulit, Synodum prosperè progressuram ad metam: significauit simul, constanter se velle, vt per sanctam seueramque disciplinæ correctionem necessitati ac voto communi cunctarum nationum ac Principum satisfieret. Hinc occasionem cepit, se quodammodò tacitè purgandi apud Collegium, quòd ipsam Cardinalium emendationem Concilio commiserat, quandoquidem ea diutius Romæ ab ipsorum nonnullis à se destinatis agitata fuerat. Sed causa, intimè Pontificis animum ad id impellens, ea fuerat, quòd inspecto modulo ab illis confecto, visi sunt ipsi emendatores non tam vitia emendare, quàm priuilegia eo in ordine exaggerare; idque postea per litteras arcanis notis conscriptas indicauit Morono, memoratum modulum ab eo petenti, ipsum monens, ne vllam illius moduli rationem haberet, hisce verbis ad eundem scriptis per Borromæum: *Navanda tibi erit opera, vt ad reformandam disciplinam ea statuuntur, quæ tibi ac reliquis honesta visa fuerint, & quæ possint Synodis satisfacere, & cuncto Christiano nomini prodesse, nullâ habitâ rerum mortalium ratione; id enim gratissimum Pontifici accidet.*

g In arcanis
notis Borr.
ad Moronum
25. Augusti
1563.

Sed quoniam huiusmodi causa si fuisset Senatui patefacta, exasperasset potius quàm pacasset animos Senatorum, adiecit Pontifex, velle se omnium primum subiici emendationis sanctionibus, quæ in Synodo statuerentur; ex huiusmodi exemplo neque Cardinalibus, neque alijs Principibus illam grauem existimandam: relictas à se liberis habenas illius negotij Præsidum manibus: si cuiuspiam incommodum inde inferretur, oportere libenti animo priuatum detrimentum communis vtilitatis gratiâ tolerari. Sibi aliàs in animo fuisse, per se ipsum decernere eam emendationis partem, quæ ad Cardinales attinebat: sed cùm Principes postularent, & suaderent Legati, vt hæc etiam Synodo remitteretur, se consentisse, & fortasse maiori eorumdem Purpuratorum emolumento id Tridenti quam Romæ statutum iri. Decretum, quo ad residendum adstringebatur, ipsis fauere, quando Episcopatum capaces eosdem declarabat. Ceterà æquum planè esse, vt qui Episcopi prouentum atque auctoritatem possidet, Episcopi pariter vincula patiatur.

Hi erant in Pontifice sensus, & in hæc verba idem loquebatur post nuntium Sessionis. Interim iniunctum Legatis fuerat, vt ob eam grates agerent Præsulibus Gallis; atque ornatissimæ commendationis formulis rescripserat Borromæus ad ea, quæ Legati significarant in emolumentum Archiepiscopi Hydruntini.

h Litteræ
Borromæ ad
Legatos &
ad Moronum,
17. 28. &
ultimo Iulij
1563.

Sed

Sed auditò Lunensis consilio, miratus est Pontifex; nec minorem admirationem præ se tulerunt duo Hispani Oratores, quibuscum ille conquestus est; & non modò Lunensem non excusarunt, sicuti Suavis refert, sed affirmarunt, id ex voluntate Regis esse non posse; & efficaciter ad Lunensem super eo scripserunt, ostensò litterarum exemplo ipsi Pontifici, quod is ad Legatos misit; adiecitque, Etiamsi Criuellus Nuntius aliter significaret, haberi firmiora testimonia de Regis mente ex Nuntio peculiari Odescalco; & sine dubio ab eo Principe cursum haud retentum iri, dum propensos iam ad rem expediendam conspiceretur Cæsarem & Regem Galliarum, in quorum gratiam, non item ex animi sui voto, poterat fortasse ea præcipere, quæ ad procrastinationem tenderent: velle se tamen Regi querelas suas insinuare, non per speciem dubitantis de regia voluntate, sed de ipsius ministro conquerentis; cum perinde in operibus accidat ac in filiis, vt eos homo facilius deserat, qui tamquam ipsius filij ab alijs non agnoscantur.

7 Augebatur tamen in Legatis suspicio de Regis mente, propterea quòd vigesimo sexto Iulij Lunensis adierat vesperi Moronum cum querimonia, quòd ⁱ in proximè præterita Sessione prætermissum fuerat debitum & consuetum examen, quo prius cuncta expendebantur à minoribus Theologis; & etiam, quia subiecerat idem Lunensis, ne in posterum vellent eâ ratione cursim progredi, id enim libertati Synodi detrimento fore: se verò haud omisurum obstitere, ac postulare, vt quæuis atomus expendebatur exquisitâ trutinâ; & vti Lotharingus domi suæ peculiare coetus Gallorum Præsulum habebat, perinde se coetus Hispanorum habiturum. Ad hæc fidenter Moronus: Nullam inculpationem minùs expectatam, in antegressam Sessionem afferri sibi posse, quàm de maturitatis, aut etiam de libertatis defectu, quando post tam diurnam trutinam tantâ suffragiorum concordia confectæ fuerant sanctiones. Agendi modum in ea habitum, legitimum & canonicum fuisse: eundem in reliquis habitum iri; ac mirari se, ab vllò Catholico id temporis celerem Concilij exitum non optari.

i Scripta à Legatis ad Borromæum 26. Iul. 1563

8 His non acquiescens Lunensis, cum Oratoribus cunctorum Principum trans Alpes regnantium agebat, quòd peterent coniunctim, vt disciplinæ capita stabilirentur à defectu totidem ^k è singulis nationibus virorum; causatus, aliter Italicam, vtpote tam plenam ac validam, aded reliquas superaturam, vt ea tantummodo conficerentur quæ illi placerent, cum libertatis bonique communis offensa. Legati omni studio conati sunt hanc coniunctionem

k Litt. Legat. ad Borrom. 19. Iul. 1563.

ia
Tric
II

1563. nem euertere; ac primò quidem ab ea seiunxerunt Lusitanum Oratorem, virum Religionis apprimè studiosum, sed pacato, non contentioso studio præditum. Præterea statuerunt, etiamsi Oratores ad id petendum conuenirent, ipsi viriliter obistendum esse, ob grauissimas rationes alibi commemoratas, numerandi per capita, non per nationes, suffragia: præsertim cum interior conscientia, & exterior euidencia, æque pro Legatis testarentur in antea actis disciplinæ legibus rem fuisse peractam, nullâ habitâ peculiari Italiæ ratione, & re ipsâ nihil Patres exteros ea de re conqueri.

¶ Constat ex litteris Borromæ ad Legatos, & ad Moronum 4. & 7. Augusti, & ex alijs supra adductis.

¶ Diarium 20 & 27. Jul. 1563.

¶ Litt. Gualt. ad Borrom. 16. Jul. 1563.

¶ Litteræ arcanis nonis Borromæ ad Moronum 4. Augusti 1563.

Itaque de his omnibus Pontifex certior factus, Nuntio in Hispania¹ significauit, vt prudenter suas cum querelis preces ad Regem deferret, vt ipsi celer exitus cordi esset; ita tamen, vt cuiusmodi precibus Pontifex haud obstringeretur ad regia responsa præstolanda, vt quæ non certa, sed eadem tarda præuidebantur; & eodem tempore Legatos hortatus est, vt nullâ cuiuspiam habitâ ratione progredierentur; simulque negarent, Pontificem denuò daturum operam aut per se, aut per alios, ad Protestantés inuitandos. Si opportunum Cæsari videretur id agere, in ipso à Pontifice rem reporni, sed absque celeritatis detrimento. De Hispani studio, quo Oratores consociabat ad ea postulanda, significauit Legatis, vt animaduersis aliorum molitionibus, suas ipsi machinas honestè opponerent; qua in re nec se pariter otari, cum impenderet operam, quò Venetis Oratoribus, & Florentino (tum Ioanni Strozio² Hieronymus Gaddius Episcopus Tortonenfis suffectus fuerat, qui nouam Orationem non habuerat, quia successerat, non primò aduenerat) imponeretur ab ipsorum Principibus, vt obfisterent eorumque detrimento, quod aduersus consuetudinem, Religionem, & etiam Italiam tentaretur. Præterea litteras scripsit; quibus Oratori Lusitano grates agebat, ad ipsum inflammandum; sed Legatos monebat, auxilium potissimum à Lotharingo ac Ferrerio ipsis expectandum. Lotharingus inuitanti Pontifici se venturum responderat, omnem operam pollicitus, sicuti mox narrabitur: ac de Ferrerio studuerat Gualterius suspicionem ex animo Pontificis abstergere, scribens³, habitam à se diutius fuisse consuetudinem cum eo & in Gallia & Tridenti, & quidquid ille egerat, diligenter obseruatum; & quamquam aliquâ de rebus mortalium experienciâ instructo, ne vmbra quidem simulationis in eo deprehensam, paucosque ita studiosos Pontificis à se repertos. Quod tamen Gualterio non rei veritas, sed hominis ars, & amor negotij à se agitati persuaaserat⁴, certum est, id temporis

Ferre-

Ferrerium adiumento fuisse Pontifici, qui pignus ad ipsi fidendum obtinebat. 1563.

10 Non tamen Ferrerius eiusque collega cessabant studiosè iura sui Principis sustinere; itaque post Sessionem adiere Legatos cum duplici querimonia. Altera præter omnem expectationem ipsis accidit, nimirum, fuisse prætermittos thuris ac pacis ritus, alioquin adeò celebres, ut satis appareret, per eam prætermittionem intendi, ne indicaretur sui Principis prærogatiua. Legati admiratione pleni responderunt, de ijs omnibus antea cum Lotharingo se conuenisse: sed statim intellexerunt, velle solùm Gallos suum assensum legitimum in ea re dissimulare, adeoque sollicitudine liberi addiderunt Legati, pene subridentes, rem factam infectam esse non posse, & ab Oratoribus patienter tolerandam. Pro consuetudine iam inducta inter summos viros, ut inuicem colloquantur tamquam personæ comicæ in scena per mutuam notitiam mutæ fictionis, per quam à mendacio absoluantur.

11 Altera querimonia verior fuit, quòd lecta non fuisset in Sessione contestatio, ab ipsis Oratoribus habita in cœtu de sede extra ordinem Lunensi concessa. Id excusarunt Præsides, causati, quòd cum Lunensis haud petijisset, ut antecedens ipsius contestatio legitur, nec pariter opportunum fuisse visum subsecutam Gallicorum Oratorum legi; sed quòd ipsis fieret satis, oportuit, ut eisdem promitteretur, vtramque typis impressum iri cum Sessione: idque comprobatum à Pontifice; apud quem Galli haud omiserant eandem agere scenam de prima querela. Sed ipse liberum extra scenam responsum reddiderat; Se procul esse, ipsi verò inter se nodos quibus se implicauerant, exoluerent.

12 Ut operi finem imponerent celeriter, incumbabant Legati ad id, cuius præcipuè gratià illud cœperant, hoc est, ad disciplinæ reparationem. In quo Pontifex suam exercebat auctoritatem, non ad eos retinendos, sed stimulandos, hisce verbis per Borromæum ad eosdem scriptis: *Cum emendationis argumenta sint ea, quæ Principes urgent supra reliqua, optat Pontifex, ut in hæc neruis omnibus insumant operam, cuncta honesta in his indulgentes Principibus, quæcumque ipsi cupierint; cum omnino statutum Pontifici sit, velle & plusquam velle hanc emendationem cæ ratione, quæ ad obsequium Dei, & vniuersale bonum expedire vobis videbitur. Quod mihi placuit hic dicere, non modo quo rectam Pontificis mentem iustificarer, de qua compertum mihi est vos esse certissimos; sed ne tempus teratis amplius in petendo hinc consilia, eoq; citius expedire vobis liceat id quod superest, & ad gloriam ac laudem Dei rece-*

† Litteræ
Borrom. ad
Legat. vlti-
mo Jul. 1563

1563. *ptui canere.* Quapropter ad id peragendum prius Lotharingo, dein Oratoribus ostenſa fuerant capita parata ad futuram Sefſionem, quò antegreſſo ipſorum conſenſu cuncta in generali conuentu concorditer ſuccederent. Quadraginta duo ⁹ fuerunt capita, & eiusmodi ponderis, vt euellerint tandem ex animis Oratorum opinionem, quæ illis infixæ adamantinis clauis antea uidebatur, uidelicet, opus quo grauiora reformarentur, in ſolum modulum eſſe abiturum, propterea quòd ipſa fabrica reuera odioſa foret tum Pontifici, tum Legatis; qui memorata capita ad ipſum miſere, declarantes, id à ſe fieri, quòd de euentis edoceretur, non quòd reſponſum expectarent, cum uellent re ipſa exercere poteſtatem ſibi traditam, & confirmatam toties à Pontifice, ſtatuendi vnà cum Synodo quidquid opportuniuſ cenſuiſſent. Quin etiam nec ipſi narrare præterierunt, cum in præterita Sefſione decretum fuerat, vt ſingula in ſingulis diœceſibus Seminaria inſtituerentur; fuiſſe qui uellent aperte pronuntiare, vt vnum etiam Romæ inſtitueretur; ſed ab ipſis moderatâ quadam ratione id præpeditum fuiſſe, ne quid Synodus Romæ præſcribere uideretur, pollicitis tamen, à Pontifice erectum iri pro ſui gradus dignitate. Quare illum rogant, vt ipſorum promiſſo conſeſtim reſponderet effectus.

Pontifex ad capita ſibi miſſa, à Borromæo reſponſa huiusmodi ¹³ reddi uoluit per expeditum tabellarium ², *Non uult amplius Pontifex quemquam conſulere de capitibus memoratis, nec de reliquis, quæ iſtinc mitentur in poſterum; ſiquidem certò ſcit, ob ingeniorum uarietatem nunquam nos conuenturos, & indies magis diſſenſuros: ad eò autem neceſſaria eſt Synodi abſolutio ob cauſas plurimas ſæpius ſcriptas, vt nihil quòd eum retardet, poſſit, vt nos arbitramur, culpâ grauiffimâ carere. Maximum in rebus omnibus quòd fieri poſſit bonum, & minimum malum peragite, atque hoc animo progredimini, quo quàm celerrimè deueniatis ad exitum Concilij; quòd Pontifici uidetur potius abſolucndum ſolemniſter, quàm ſuſpendendum, cum id maius Dei obſequium, maior noſter honor ac dignitas ab ipſo putetur: & ubi res eò deductas animaduertitis, vt ſancitis poſtea dogmatibus, conſectisq; iam dictis diſcipline legibus, opportunum abſolucnda Synodi tempus arbitremini, & uobiscum maior Patrum numerus conſeſſerit, dicit Pontifex, vt nullâ ratione habitâ relictantium, nec ullis deterriti minis cuiuſcuſ hominis, finem imponatis.* Et poſt hæc addidit Pontifex epiſtolam ſuo chirographo ³, eadem confirmantem.

De Seminario iam ipſe per Borromæum ſignificarat ¹⁴; cum primùm propoſita Tridenti Seminaria accepit, adiectum à ſe antimum ad id Romæ perficiendum, ſicut breuè præſtare intendebat,

⁹ Epif. Legat. numerat. 44. ex errore, vt conſtat non ſolum ex Actis Paleotti, ſed ex reſponſo Borromæi ad ipſam epiſtolam, 11. Auguſti 1563.

² Litt. Borromæi ad Legat. 11. Auguſti 1563.

³ Epif. Pontificis ad Legatos, 14. Auguſti 1563.
⁴ 4. Auguſti 1563.

ac postea præstitit, cum ea non Romanæ solùm iuuentutis, sed Italiae vniuersæ utilitate, quam ostendunt egregij viri, qui frequentes ex huiusmodi palæstra ad huius Prouinciæ, & Ecclesiæ deus prodire.

15 Non tamen satis erat tam promptus Pontificis animus, quo regionibus Christianis satisfieri cupiebat, quin tunc ut maximè aded restiterunt summorum Principum Oratores, sicut subinde lectores animaduertent, ut felix exitus opus diuinitus præstitum visum fuerit Legatis. Initio agitati cum Oratoribus negotij de morum correctione, illico retardatum est iter ob oppositum quasi isthmum, iam præuisum: nam eorum complures postularunt id quod Lunensis proposuerat, ut fieret Patrum delectus habitâ Nationum ratione. Illi contra opposuerunt rationem, usum veterrimum, & insuperabilem difficultatem obtinendi consensus à Synodo; & præter Lusitani, Oratorumque Italicorum auxilia, ad se traxere Drafcouizium, ac propemodum Muglitium, cum vtrique comper- tum esset, iam Moroni operâ Cæsari verum innotuisse; sed ambo denuntiarunt, cum ipsi haberent in mandatis, concordēs omnino cum Oratore Hispano se gerere, posse quidem studere se illum ab incepto remouere, non autem destituere, vbi ipse peristeret. Tamen quâ rationibus, quâ industriâ, præcipuè verò quòd Galli haud reuerâ volebant quòd cum Hispanis postulare videbantur, effectum est, ut Hispani consenserint id temporis antiquæ consuetudini, per quam singuli Oratores ad proposita capita propendebant, addentes quòd opportunum proprijs Prouincijs existimassent.

16 Inter articulos de duobus magis arduè disputatum est: alter fuit de irritis declarandis matrimonijs clandestinis. Agnoscebantur im- mensa detrimenta, quæ inde nascebantur, dum vir ex pœnitentia nuptiarum, quas occultè contraxerat, plerumque ob impetum in- consulte appetentiæ, aut ex cupiditate alterius thori, & illectus ad priores negandas ab ipsa notitia quòd illæ probari non possent, præ- ceptis ferebatur ad secundas, quæ ut cum honestiori familia, ita pu- blicè celebrabantur; adeoque postea perpetuus adulter viuebat, ad id coactus cum recentium affinium reuerentiâ, tum ac multò arctius à presumptionibus exterioris fori, in quo cum prior contractus haud appareret, posterior pro legitimo censebatur. Idcirco Ora- tores Galli, quorum regna fortassis hoc incommodum frequen- tius nocentiusque patiebantur, vigesimo quarto Julij à Conci- lio Regis nomine solemniter petierunt, ut huiusmodi matrimonia in posterum irrita decernerentur, renouatis antiquis nuptiarum ri-

1563.

Litt. Legat. ad Borrom. vltim. Julij, & mandata Gualt. tradita à Moroni, infra afferenda.

Acta Arcis Eritæ, tomo vltim. pag. 7.

la
Irid
II



1563. tibus: quod si graui de causa interdum aliter fieri opportunum cen-
feretur, saltem matrimonia pro non legitimis haberentur, quoties
non adesset Sacerdos cum tribus aut pluribus testibus: simul etiam
redderentur irrita matrimonia contracta à filijs absque parentum
consensu, quippe plerumque noxia, ac familijs indecora, & odio-
rum potiùs quàm amoris fomes inter coniuges. Verùm quò simul
remedium adhiberetur parentum socordia in filiorum statu cu-
rando, certus annorum numerus præscriberetur, quo absoluto
si nondum filius à parente in matrimonio fuisset collocatus, fas
illi esset per seipsum vxorem ducere.

Hoc postulatum Gallorum, quod certè solemne fuit, & in 17
Acta relatum, omnino mutilatur à Suau. Dum silentio præterit,
eos petiisse vt irrita declararentur coniugia clandestina, narrat,
eosdem quæsiisse, vt esset liberum parentibus irrita aut non irrita
reddere filiorum matrimonia, & omittit limitationem temporis
ab illis appositam. Hac in re non modica efferbuit disputatio tum
de Ecclesiæ potestate, tum de opportunitate illius legis. Pontifex
pro eo quod apud se iam statuerat, scribi iussit ad Legatos, vt id
conficeretur quod opportunum putarent: se quidem adeò abhor-
rere à mulierum raptu, vt animo medicaretur Decretum huiusmodi,
quo numquam posset verum matrimonium contrahi inter raptorem
ac raptam, idque restitutionem antiquorum Canonum fore,
sed velle pariter hoc illis committere.

9 Litt. Bor-
rom. ad Le-
gat. 4. Augu-
sti 1563.

Alter articulus, admodum arduus, agebat de collatione Sacer- 18
dotiorum, animarum procuracionem complectentium. Etenim Epi-
scopis rationi consentaneum videbatur, vt in his nulla Pontifici
seruaretur mensium retentio, sed cuncta ipsorum potestati relin-
querentur, vt qui idoneos in Diocesi meliùs cognoscerent. Pius fa-
tis intelligebat, & quantum id sibi detraheret, & vbi rei delibe-
ratio Tridentinis Patribus remitteretur, ipsos pro se decreturos;
noluit tamen vt obex ille cursum Synodo retardaret, sed cepit
etiam aperire, triplici temperamento Legatis proposito. Primum
erat, Vt cuncta sacerdotia, animarum curâ affecta, quocumque va-
carent mense, ad Episcopos ita spectarent, vt pariter cuncta sacer-
dotia simplicia ad Pontificem pertinerent. Alterum, Vt, quemad-
modum sæpè scripserat Borromæus, darentur ea sacerdotia non
alio modo, quàm *in forma dignum*, Dataria vocabula: ita nimirum,
vt illud impetraturus, coram Ordinario probaret se dignum esse.
Vbi neutrum acciperetur, ad tertium descenderent, videlicet, Vt
Pontifex conferret cuncta Paræciarum Sacerdotia, ipsius mensibus
vacan-

2 Litt. Bor-
rom. ad Le-
gatos, vltimo
Iulij 1563.

vacantia, solum dignis viris, & ex ipsa diocesi, quorum syllabus ab Ordinarijs ipsi mitteretur. His oblati rati sunt Pontifex, Episcopis in ea re satisfactum iri; ex hominum consuetudine, ut cum bona quedam litigiosi pars offertur homini nihil possidenti, extinguatur in eo sæpe cupiditas, quamvis possit, sua manu cuncta capiendi; cum hominibus, præsertim togatis, videatur ingenti pretio parcere in noua rerum adeptione, cum certamini parcent.

C A P V T II.

Obducta in Lotharingo Umbra ob propositas emendationis leges. Varia in eo suspensiones in Moronum, sed disiecta. Eiusdem responsum inuitamento Pontificis. Gualterius Romam missus, & mandata ipsi tradita à duobus memoratis Cardinalibus. Iussa Pontificis post aduentum Gualterij, de fiducia cum Lotharingo & Madruccio exercenda; de celeritate, tametsi Lunensis repugnaret; & alia iussorum capita.

Cibus tam sæpe tam auidè petitus & repetitus stomachos primo gustatu turbauit, non composuit. Capita emendationis à Legatis communicata cum Lotharingo, ac postea cum Ferrerio, sicuti pariter cum ceteris Oratoribus, graui molestiæ duobus prioribus fuere ^a, cum ipsis videretur reculari ac despici suum consilium & oblatam opem ad absoluendam Synodum absque tanti temporis nouarumque sanctionum impendio. Et ex altera parte Lotharingo non licebat honestè repudiare quod tam sæpe postularat; nec indicare, vniuersalem restrictionem à se molestè ferri, cum aliquis ex articulis ipsum complectebatur. Quamobrem dum scriptum illud accepit à Paleotto, non nisi ^b languorem indoluitum præ se tulit, ac postmodum ea capita comprobauit, addiditque, subridens in modum, complurium annorum laborem superesse. Apertius ipse palàm fecit, seu potius communicauit ægrimoniam Ferrerio, qui consimiles sensus gerebat, & à quo Gualterius id resciiuit; nequiter nauari operam Pontifici, debitam illi auctoritatem ab ipso non obtineri: Moronum, & fortasse Simonnetam, proposito tam arduo argumento, non nisi post longissimum tempus concoquendo, obsecundare Hispanorum voto: ab vnico Nauagero & agnosci & promoueri verum Pontificis bonum: non posse Gallicanos Episcopos diutius detineri procul ab ipsorum Ecclesijs egentissimis: nimis frigidè timideque Moronum progredi ad

^a Arcane notæ Gualt. 17. 18. & 19. lxxij 1563.

^b Litt. Vicecomitis ad Borromæum. 19. Jul. 1563

ia
Tric.
II